



The Holy See

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **NAGPURENSIS (RAIPURENSIS)** * DIVISO
TERRITORIO ARCHIDIOECESIS NAGPURENSIS, NOVA PRAEFECTURA APOSTOLICA CONDITUR,
«RAIPURENSIS» APPELLANDA. Religio vera Christique salus ut in Indiae regionibus proveheretur quas frequentissimi
incolae habitant multa eque sapientiae fama collustrat, censuit Sacra Congregatio Christiano Nomi Propagando novam
ibi locorum ecclesiasticam circumscriptionem condere. Quam sententiam libenti animo probantes, ea quae acta sunt
confirmamus atque snmma potestate Nostra, consensu eorum suppleto qui hac super re aliquod ius habeant vel se
putent habere, sequentia decernimus. A territorio archidioecesis Nagpurensis civiles districtus seiungimus qui vocantur
Raipur, Bilaspur et Drug, ex iisque novam praefecturam apostolicam constituimus, *Raipureensem* ab urbe Raipur
cognominandam, iisdemque finibus cingendam ac districtus quos diximus. Quam praefecturam, Nagpurensi provinciae
aggregatam, Sodalibus Societatis Apostolatus Catholici concredimus, id hortantes ut nulli labori parcant modo dum
Christi regnum eiusque evangelium in homines latius proferantur. Ceterum has Litteras Nostras venerabilis Frater
Robertus Iacobus Knox, archiepiscopus titulo Melitenaeus atque Apostolicus in India Internuntius, vel per se ipse vel per
legatum, exsequetur, factis ad rem necessariis facultatibus. Re vero acta, idem documenta exarari faciet, eademque
sinceris exemplis ad Sacram Congregationem Consistorialem cito mittet. Quod si alias eo tempore Apostolicae in India
Internuntiatura praesit, hic mandata Nostra faciat. Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore
volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam
obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam
iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat;
quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praferant in
ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides,
quae huic haberetur, si ostenderetur. *Datum Romae, apud S. Petrum, die sexto decimo mensis Ianuarii, anno Domini
millesimo nonagesimo sexagesimo quarto, Pontificatus Nostri primo.*

IACOBUS A. Card. COPELLO

S. R. E. Cancellarius

GREGORIUS P. Card. AGAGIANIAN

S. Congr. de Prop. Fide Praefectus

Franciscus Tinello

Apostolicam Cancellariam Regenslophus Rossi, Ep. tit. Palmyrenus, Protonot. Apost.

Sylvius Romani, Protonot.

Apost.

*A.A.S., vol. LVI (1964), n. 13, pp. 789-790 © Copyright 1964 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana